



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatus De Fiducia In Deum Plurimas Et Utilissimas pro
vitâ spirituali instructiones Continens, Præcipue Ad
Obtinendam magnam animæ quietem, & afflictiones
quascunque ingenti cum solatio & fructu ...**

Dusault, Nicolas

Coloniæ Agrippinæ, 1660

§. 3. Singularis fiducia Davidis in Deo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50333)

pore daretur optio eligendi vel illorum
nostram vivendi rationem, quin nostram el-
geremus præ illorum victus conditione. Sed
sunt huiusmodi voluntates nostræ perverse
quibus nitimur in vetitum semper cupimus
que negata, & imminuimus bona à Deo no-
bis donata ut laxemus obligationem qua
sumus obstricti. Hæc nostra ingrata natura
est, & invidia quæ persuadet nobis conditio-
nem nostram, tametsi reipsa melior sit, dete-
riorem esse fortunâ aliorum.

§. III.

Singularis in Deo fiducia Davidi.

Huiusmodi ingrati animi cogitationes
nunquam admiserunt viri sancti. Scilicet
lud quotidie corde & ore versabant quod sa-
pe in psalmis suis repetit sanctissimus Rex
David: *Quoniam tu es Domine, spes mea.* Nec
brevius quidquam dicere potuit, nec quod
majori sibi esset consolationi, ideoque hoc
erat familiare cogitationum eius obiectum.
hæc materia gaudiorum, hoc dictorum factu-
rumque argumentum: *Diligam te Domine
fortitudo mea* 1. psal. 17. & alibi: *Domine
mamentum meum & refugium meum, & li-
berator meus, Deus meus, & sperabo in
protektor meus & cornu salutis mea.* Huiusmodi

di verbis pio affectu plenissimis Vir sanctus suam erga Deum fiduciam testabatur. Et videtur non satis se posse hac in re explicare, nec invenire verba congrua, quibus sensa sua dignè exprimat. Idem diverso loquendi modo sæpissimè repetit, quia nihil sibi videbatur dicere quod animo suo satisfaceret, quamvis omnia sint plena amore & fiducia plusquam filiali. Alibi iterum loquitur in hæc verba: *Esto mihi in Deum protectorem & in locum refugii, ut salvum me facias, quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu.* psal. 30. Denique concludit unum ex psalmis suis quatuor quidem verbis, sed quæ alia omnia, ut S. ait Augustinus, verba complectantur: *Deus meus, misericordia mea.* Quid sibi volunt hæc verba, quærit S. Doctor, Deus meus, misericordia mea? Nunquid significare vult his vates, quod Deus sit refugium suum & præsidium, fortitudo sua, salus, pax, quies, voluptas & gloria sua? Omnino, hæc omnia, subdit, simul hisce significat & aliquid amplius.

§. IV.

Hæc fiducia Davidis fundata erat in beneficiis à Deo acceptis.

Sed unde existimas promanasse tantam in sanctissimo hoc Rege fiduciam, quæ ipsam